



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pretiosae Occvpationes Morientivm In Societate Iesv

Nádasi, János

Romae, 1657

Cap. IV. Extrema vnctio maturè petita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45415

simo die , & gaudium nostrum sit plenum ; vt
nunquam nos separari à se permittat ; vt mor-
tem hanc nostram ynà cum vita omni antea-
cta , in odorem suavitatis admittat ; vt per
merita omnium , qui pretiosa morte defun-
cti sunt , mortem nostram in conspectu suo fa-
ciat pretiosam ; vt deniq; Corpus hoc Domini
Nostri Iesu Christi custodiat animam nostram
in vitam æternam . Amen .

CAP. IV. Quarta occupatio pretiosa ;

Extrema Unctio mature petita .

Extrême Vnctionis Sacramento , to-
tius Vitæ Christianæ consummativo ex-
tremum Vitæ nostræ , tanquam firmissimo præ-
sidio , muniuit Christus , vt docet Conc. Trid.
quo munitus æger , & morbi incommoda , ac
labores leuius fert , & temptationibus demonis
calcaneo insidianis facilius resistit ; & , quod
ait S. Iacobus , si in peccatis fuerit , remit-
tuntur ei . Vnde in Societate in id incumbi-

trid.c.3. tur , vt hoc spei , & exeuntium Sacramentum
maturè detur , infirmo tunc doloris de pec-
catis , & amoris actus frequentante , atque
Supplm. ad ea , quæ Sacerdos dicit respondentे. Hoc
3.p.q.32.a. Sacramentum , vt loquitur S. Thomas , actua-
4. & q. 29. lem devotionem in suscipiente requirit . & : im-
mediate hominem ad gloriam disponit . Quo-
art. 1. circa

cirea si æger per inconsiderantiam, vel per dolores, omittat illud petere; ad se id pertinere putent, superior, confessarius, sanitatis Præfector, & qui ægro adsunt, ut id illi persuadeant; quò mundior proficiscatur anima, eò vbi actiones nostræ igne iudicabuntur. Implorandi omnes Electi Dei, qui unquam hoc Sacramento sunt usi, ut nobis gratiam impetrant illud suscipiendi tam sanctè quam illud illi suscepere.

2. P. Petrus Canisius dum extremum ungeretur, totus in Beatissimæ Virginis Imagine aspicienda, & internis actibus erat occupatus. Plura de hoc Sacramento hic passim occurrent.

3. P. Wolfgangus Grauenegg, præclarum altæ virtutis nomen, quotidie, cubitum concessurus, vespertinæ diei totius expiatione, veluti sacro quodam extremæ unctionis imitamento, usus, in mortuali expirantium situ tantisper supinus, crucem fronti, oculis, auribus, alijsq; , de more illius Sacramenti, sensibus impressit, additis accommodatis ad singulos sensus verbis. Verùm ne tantum externorum sensuum expiatione suam circumscriberet pietatem, frontem cruce muniens internos sensus expiauit in hæc verba: *Per istam Sanctam Crucem, & suam p̄yssimam misericordiam indulgeat mibi Dominus, quicquid memoria, intellectu, voluntate, cogitatione de-*

Suggerens
dum ægro,
vt petat ex.
tremam un.
ctionem,

Quid in illy
la agendum

1650. 20.
Aug.

E liqui.

liqui. Tum ad sensus reliquos accommodata
cuius verborum formulæ expiandos progre-
diebatur, quotidie prouidus eternitatis; quam
per magna iungentis ac pretiosis heroicarum
virtutum actibus condite patientie documen-
ta Oeniponti est ingressus.

P. Ioannes Sanz Valentiae anno ferè
1627. extremum vixit, Provincia universa
præclarè administratæ, & virtutis egregiæ
magnis exemplis valde laudatus. Hic ab
excitatore manè æger repertus, eodem die
viatico instructus est. Extremam verò vi-
tationem non nisi ægrè, ac repetitis frequen-
ter precibus impetravit, quod mors non adeò
propè adesse putaretur. Eo dum vngeretur,
ipse respondit ad singula, tum ceruical fibi
accommadari iussit, & omnibus qui aderant
(è quorum uno hæc habeo) benè precatus,
reclinato in ceruicalcapite, statim expiravit.
Nonnulla quæ admirationem habent de illo
postea comperta sunt.

CAP. V. Quinta occupatio pretiosa.

*Indulgentia, & Iesus, Maria ultima ægrispiria,
verba ultima, tessere Indulgentiarum.*

Vnde accurate aduertunt Superio-
res accuratiōres, Confessarij, Præ-
fectus, Valetudinarij, & ij qui ægros visunt,
adeò-